Einar Guðmundsson

Tentamen

7

TENTAMINIS

IMPERATOREM
V. DIOCLETIANUM

A

VARIIS, QUORUM TUM AB ALIIS, TUM INPRIMIS A LACTANTIO ACCUSATUR, CRIMINIBUS VINDICANDI

PARTICULA PRIMA,

QUAM PRO STIPENDIO

COLLEGII MEDICEI

MODESTO OPPONENTIUM EXAMINI

SUBIICIT

EINAR GUDMUNDI

d. julii

MDCCLXXXX.

HAFNIAE

Typis HOECKIANIS.

§. 1.

Multi haud tantum indocti, sed, quod sane mireris, doctrina conspicui, eos, a quibus vel ipsi, vel eorum consanguinei, amici aut socii, grauiore quadam iniuria vel detrimento sunt affecti, multo nigriore, quam par est, colore depingunt. Dum enim iniurias, & damna inde enata, menti continuo obuersantur, sensus iste ingratus, e laesione ortus, nouis indies incrementis auctus, in odium facile degenerat, quod mentem, quo minus verum videat, perstringit, & adeo iniquam reddit, ut assidua ac viuida istius, quod in actione, qua laesi sunt, iniustum fuit, repræsentatione a rationibus, quibus motus alter, hanc actionem suscepit, inquirendis atque considerandis abs-

 tracti,

ſtracti; haud attendant ad id, utrum notitiis ſatis fuerit inſtructus ad perſpiciendum, an ita agere ſui eſſet officii, nec ne, vel ſi his notitiis deſtitutus fuit, facilis vel difficilis ipſi adfuerit occaſio eas ſibi comparandi, an ſponte ſua, vel ab aliis incitatus, an ſpecioſis tantum, vel pro ipſius notitia ſat grauibus argumentis deceptus, vel quo conſilio & fine, has iniurias, haec detrimenta, ſibi ipſis vel aliis intulerit; dum itaque partium ſtudio ducti, in haec vel prorſus non, vel ſaltim non ea, qua par eſt, integritate ac diligentia inquirant, actiones, quae vel ignorantiae, vel aliorum perſuaſionibus, vel id genus aliis incitamentis & motiuis, merito ſunt adſcribendae, indoli peruerſae & ad quaeuis nefaria pronae tribuunt, ac earum auctores, licet pro ſuis notitiis, vitae genere, aliisque circumſtantiis, omnem, quam potuerunt, operam dederint, ut in iſta actione ſuſcipienda, conſcientiae dictamen ſequerentur, & proinde id quod credebant ſui eſſe officii,

officii, unice egerint, tanquam ad quaevis nefanda promtos ac paratos, juris omnis diuini atque humani contemtores describunt.

§. 2.

Cum vero haud facile quid inueniatur sapiente magis indignum, quam in aliis, inprimis iis, qui ne quid quod sui non esset officii committerent, sollicite cauebant vituperandis, caecum vulgi judicium temere sequi, eum rite agere nemo unquam negarit, qui dum alios, quicunque demum sint, grauis cuiusdam criminis accusatos videt, non tantum in id inquirit, utrum quae ipsis vitio vertuntur patrarint, sed & si ea commiserint, quibus rationibus inducti ista susceperint, & id genus alia, quae moralitati actionis rite aestumandae inseruiunt, sollicitus indagarit.

§. 3.

Hinc cum Imperator *Valerius Diocletianus* maxime iniquos, (ut mihi videtur) sui aestimatores nactus sit, quippe

quem tum alii, tum inprimis *Lactantius*, ita depingunt, ac si scelerum omnium atque vitiorum fuerit mancipium, caussas, quibus motus, tum alias quarum accusatur actiones suscepit, tum inprimis rationes, quibus adductus Christianos persequi iussit, breui hac dissertatiuncula nitar exponere.

§. 4.

Dicit *Lactantius*, Lib. de mortibus persecutorum, *) vel quiscunque demum hujus libri sit auctor, *Diocletianum* fuisse tantum scelerum inuentorem ac malorum machinatorem, ut dum omnia disperderet, ne a deo quidem manus potuerit abstinere, qui & orbem terrarum simul & auaritia & timiditate euerterit; at ea quae adfert ad probandam hanc suam de peruersa *Diocletiani* indole, sententiam, talia sunt, ut in homine ethnico, larga rerum notitia, ut vero simile est, destituto, & ad tantum dignitatis fastigium euecto, tot praeterea, tantisque negotiis occupato, non

*) Cap. 7.

non ſolum facile poſſint excuſari, ſed & cuiuis huius temporis vel non penitus ignaro, aequo rerum aeſtimatori abunde pateat, imperatorem haud pauca eorum, ad rem publicam partim priorum imperatorum inſolentia, ſocordia ac mala adminiſtratione, bellisque ciuilibus perturbatam, partim a barbaris gentibus ſaepius laceratam ac ferme exhauſtam, erigendam & defendendam, vel duriſſima neceſſitate actum, inſtituiſſe; quod ut eo clarius adpareat, tum quae pro hoc ſuo de imperatore teſtimonio adfert *Lactantius* argumenta, recenſebo, tum qui hac aetate fuit ſtatus imperii Romani, paucis oſtendam.

§. 5.

Primum itaque auctor citatus ait, hunc imperatorem grauiſſimam orbi romano perniciem attuliſſe, eo quod imperio in quatuor partes diuiſo, tres regni conſortes adſciuerit, hinc enim cum ſinguli principum maiores copias ſuſtentare contenderent, quam priores, qui ſoli

rempublicam gerebant, habuerant, multiplicatis adeo exercitibus, ut ii qui publicis ſumtibus alerentur, eos qui ſumtus exhiberent, numero ſuperarent; tanta colonis onera eſſe impoſita, ut viribus exhauſti, agros deſeruerint, & hinc culta in ſyluam eſſe conuerſa. At quis non videt, minus aeque hic iudicare auctorem noſtrum, dum ea quae ex hoc inſtituto vel neceſſario emanarunt mala, & quae vel maximam partem ex longe alio fonte profluebant, peruerſo, vel ſaltem timido imperatoris animo tribuat, ne verbulo quidem commemorans cauſas graviſſimas, quibus inductus, hoc conſilii cepit imperator, praeprimis quae adeo graues, adeoque manifeſtae eſſent, ut illum, quippe qui his temporibus vixit, ni conſulto á perturbato reipublicae ſtatu conſiderando, oculos auresque ſuas abſtinuiſſet, latere non potuiſſent.

§. 6.

In *Gallia Helianus* & *Amandus*, excita manu agreſtium ac latronum, agros

late

late depopulati, urbes plerasque adgressi sunt; de quo certior factus imperator, *Maximianum*, fidum sibi amicum, & militia clarum, quo maiorem adhuc alacritatem in regno tuendo praestaret, imperatorem creat, qui in *Galliam* profectus, fusis fugatisque hostibus, breui hosce motus compescuit *) Hoc etiam tempore *Corausius* quidam, cui tum ob egregia, quae in hoc bello ediderat virtutis specimina, tum ob gubernandi peritiam, per hac tum Belgicae & Armoricae maris pacandi cura fuit commissa, quod Franci & Saxones continuo infestabant, eo quod praedam a barbaris, quos oppressit, captam, nec prouincialibus integram redderet, nec imperatori mitteret, sed sibi soli vindicaret, ab *Herculio* occidi iussus, sumta purpura, *Britannias* occupauit. **) Adhaec orientem *Persae*, *Africam Julianus* & nationes Quinquegentanae grauiter

*) *Pauli Diaconi* Hist. Miscell. lib. 10. Cap. 40. *Aurelius Victor* de Caesaribus Cap. 39. §. 2.

**) *Pauli Diaconi* Hist. Miscell. lib. 10. Cap. 41.

ter infeftarunt, & in *Aegypto Achilleus* regni infignia induerat. Imperio itaque ab his hoftibus undique lacerato, *Julium Conftantium*, & *Galerium Maximianum* Caefares creauit *Diocletianus*, quorum priori Galliam trans-alpinam commifit, pofteriori vero Illyrici oram ad Pontum usque, porro *Herculio* Africa atque Italia tradita, reliqua ipfe retinuit. *) Hinc patet imperatorem iftud confilium, tanquam ad regnum pacandum optimum, cepiffe, ut plures regni confortes conftitueret, quos vel propriae dignitatis & poteftatis conferuandae amor & neceffitas adigeret ad omnem operam prouinciis, quibus imperabant, pacandisque & ab hoftium impetu defendendis, fumma cum alacritate impendendam. Ne vero noua hac poteftate elatus quis eorum, vel fummam imperii fibi foli vindicare, vel alterius ditionem occupare niteretur, cuiusque dignitati ac poteftati certos conftituit limites, & quo laetiore in regno tuendo

*) *S. Aurel. Vict.* de Caef. Cap. 39. §. 3.

tuendo ſucceſſu uterentur, dum iunctis non tantum viribus ſed & animis, huic rei communem nauarent operam, mutuam amicitiam affinitate firmare ſtuduit, *Conſtantio Herculii* priuigna, *Galerio* ſua filia in matrimonium data, unde & *Diocletianum* ut parentem ſuſpiciebant.

§. 7.

Cum itaque tot tantaque bella, quae imperio ruinam minabantur, multos ac ingentes exercitus requirerent, quis imperatori vitio vertat, ſubditos ingenti tributorum mole preſſos fuiſſe, inprimis cum bella, tam cum ciuibus, quam hoſtibus potentiſſimis & maxime bellicoſis, quae tantos ſubinde progreſſus fecerunt, ut numeroſiſſimis exercitibus fuſis fugatisque, ipſos Imperatores vel trucidarent, vel viuos caperent, geſta, quibus imperium romanum a longo inde tempore erat perturbatum & dilaceratum, oſtendant aerarium ſumtibus, quibus ingentes hi exercitus in omnibus fere prouinciis alerentur, erogandis, haud ſuffeciſſe.

§. 8.

§. 8.

Porro huic Imperatori id vitio vertitur, quod prouinciis in frusta secatis, plures in singulis regionibus ac fere civitatibus, praesides, rationales, magistros & vicarios praefectorum constituendo terrore omnia impleuerit; hinc enim ortas condemnationes & proscriptiones frequentes, exactiones rerum omnis generis, non tantum crebras sed & perpetuas, cum iniuriis non ferendis coniunctas. *) At vero tam res ipsa, quam consuetudo omnium fere principum, qui haud ignari salutem reipublicae vel maxime ab eo pendere, ut qui muneribus publicis fungantur, id quod suarum sit partium strenue agant, omnem curam adhibent, tum ne hi majore, quam par est, negotiorum tumultu distracti, muneribus rite obeundis impares reddantur, tum, ut quantum possunt, omnem iis occasionem adimant, auctoritate muneris, iniurias ciuibus suae curae commissis inferendi, tam

*) *Lactant.* de mort. persecut. Cap. 7. pag. 371.

tam inquam res ipſa quam haec omnium regum ac principum conſuetudo, ſatis demonſtrant imperatorem ſolertisſimum, & reipublicae bene adminiſtrandae unice intentum, eorum, qui muneribus publicis fungebantur, numerum eo fine auxiſſe, ut ſinguli ſuis muneribus, quippe quae labore inter plures diuiſo, haud tantis ac antea difficultatibus erant impedita, rite obeundis, eo magis ſufficerent, & ſic varia, quae dum ii, qui publicas tenent ſpartas graui negotiorum mole premuntur, ad ciues inde redundant detrimenta, tollerentur; nec ullus munere, ad iniurias aliis inferendas, aucto, eorum quibus publica officia erant iniuncta numero aeque facile ac antea uti potuit, dum, ſi quis tale quid ſuſciperet, vix fieri poſſet, ut dum plures aderant, omnes lateret qui vel ipſi eum juſta poena posſent afficere, vel rem ad ſuperiores magiſtratus deferre.

§. 9.

§. 9.

Adhuc validiora multo argumenta nobis depromit historia, quae abunde demonstrant eo, quo dixi consilio, plures, qui publica obirent munera constituisse Imperatorem, etenim quam longe vel ab omni veritatis specie remotum est, eum plures praesides, rationales, judices, & id genus alios constituisse, quo ciues nouis impensis, exactionibus, tributis, & omnis generis iniuriis exhauriret, qui adeo miti fuit ingenio, ut vel erga hostes inaudita plane clementia uteretur, dum *Carino*, qui, ut imperium ad se raperet, eum adgrediebatur, deuicto, neminem, qui ab ejus steterat partibus, ne *Aristobulum* quidem praetorii praefectum, fama, dignitate, facultatibus, ne dum vita spoliauit, sed exilio, proscriptioni, suppliciis, & caedibus modum posuit, quod in bellis ciuilibus nouum plane fuit & inauditum. *)

§. 10.

*) *S. Aurel. Vict.* de Caes. Cap. 39. §. 2.

§. 10.

Nec minori ſtudio rempublicam componere & ſecuritatem ciuium munire nitebatur Imperator ſolertisſimus, legibus aequisſimis, ut conſtat e fragmentis legum *Diocl.* & *Maxim.* ab *Gregorio* & *Hermogene* collectis, quae pauca licet, & exigua, quantum a ſalute & ſecuritate ciuium quouis injuriarum genere euertenda & perturbanda alienus fuerit, ſatis demonſtrant, nec minus acerrimum ejus, ciues ab iniuriis quibusuis vindicandi, ſtudium inde elucet, quod frumentarios abrogarit, qui cum ad explorandos qui forte motus in prouinciis exiſterent, inſtituti viderentur, compoſitis nefarie criminationibus, pluribus, inprimis remotiſſimo cuiquve, terrore injecto, cuncta faede diripiebant *). Nec vero ſolum legibus ferendis, & iis, qui ciues iniuriis affecerunt, ab officio remouendis internam reibublicae ſalutem promouere ſategit Imperator; ſed & bene gnarus

*) Jurisprudent. vet. ante Juſtin. a pag. 706-718.

gnarus felicitatem ciuium ex morum integritate vel maxume pendere, virtutis ſtudio, honeſtiorum prouectu, & flagitioſi cuiusuis ſuppliciis, promouendo acerrimam nauabat operam; & cum tam omnium temporum hiſtoria, quam quotidiana experientia ipſi conſtaret, plures, ſi gravi rerum, quae ad vitam ſuſtendandam ſunt neceſſariae, defectu premuntur, ſaepius eo prolabi, ut media quaeuis iniuſta ad uictum parandum arripiant, & hinc ex rerum penuria magnam ſcelerum, & flagitiorum copiam, velut ex equo Troiano, prorumpere; ut hoc graue ſatis reipublicae ſalutis impedimentum remoueret, annonam urbis & ſtipendiariorum ſalutem anxie curauit. Ex his omnibus patet exiguam ſane, vel potius nullam fidem mereri *Lactantium* *); dum narrat hunc Imperatorem multos occidiſſe, quo eorum facultates ſibi vindicaret, & ubicunque cultiorem agrum vel ſplendidius aedificium viderit, poſesſorem calumnia circumuentum, capitis poena adfeciſſe, ac ſi non poſſet aliena ſine ſanguine rapere.

*) Lib. de mort. perſecut. Cap. 7.